



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Baldvini Cabilliavi E Soc. Iesv Magdalena

Cabilliau, Baudouin

Antwerpen, 1625

LXXX. Semianimis Magdalena illacrymat sepulcro.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70461](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70461)

L X X X.

*Semianimis MAGDALENA illa-
crymat sepulcro.*

Cur gemit ad tumulum, ceu consona mortis
imago,
Præmoriente Deo, Magdala prompta mori?
Et piceas auidæ mortis procumbit in vlnas,
Ceu tumuli consors, quo sua vita iacet?
Vult noua mors de morte fluat, de funere funus,
Noxa nouâ noxâ, deq̃ue dolore dolor?
Hæret adhuc certè ceu saxum immobile saxo
Magdalis, & tristi rupe sepulta iacet.
Languet amans; nec Amoris erit reperire medelâ?
Quærit amans; nec erit qui sibi promat opem?
Ardet amans; & adhuc rapidis Amor auolat alis?
Pulsat amans; & adhuc limina furda silent?
Tun' potis ah mi **C H R I S T E** pati tot acerba
doloris?
Tun' potis ah lentæ tædia cruda necis?
Tu mera lux; & adhuc nox Magdalin umbrat,
& error?
Tu via; & errat amans? vita es; & ægra perit?

L X X X I.

Vult iterum ungere.

Quid tibi cum myrrhâ? properas vinctura
sepultum?
Viuit; odoratâ cinnama mitte manu.
Exsequias viuo duxti lacrymosa; secundis
Nil